




TYPVS  
HISPANIAE  
ab Hesielo Gerardo delineata  
et juxta annotationes Doctyl. D<sup>ni</sup> Don Andreæ  
et Almada S. Theologie Publicæ Professoris  
apud Combricensis emendatus



Castilliarum Imperium  
extendit FERDINANDVS,  
rexit PHILIPPVS  
CAROLVS confirmavit  
PHILIPPVS II. autem  
adjuvit Lusitaniam cum Indis  
ab EMMANVELE conquestis;  
que omnia nunc a PHILIPPO III.  
feliciter reguntur.

Amstelredam.  
Ex officina ere et sumptibus  
Ioannis Ianssonii  
Alphabetum voluminis Lectorem, de signari  
Archætypographi hoc signo  
Episcopatus vero  
Academias denique  
Leuce Hispaniæ  
Miliaria Germanicæ

H I S P A N I A.

Iem in Asia Iberia, inter Ponticum Caspium-que maria, statuit. Haud minori errore in universam Hispaniam pervenisse Iberos ex Asia & Persas tradidit M. Terentius Varro. Celtarum gentem, ab Aschenaz e propagatam, omnem post terrarum inundationem obsedisse Hispaniam, Galliamque, Britannicas insulas, Germaniam, atque Illyricum, tam ex sacris, quam gentilibus dispicio autoribus. Unde etiam nomen eorum multis Hispaniae locis affixum retulerunt Graeci Romaniq; scriptores: ut Celticorum, qui partem Bæticæ ac Lusitaniae, partemque Tarraconensis provinciae ad usque promontorium Celticum, quod vulgo *Cabo Finis Terræ*, tenuere: item Celtiberorum, ad Iberum flumen incolentium. Germanos cognominat, nescio unde, Plinius Oretanos, Tarraconensis provinciae populos. Primi exterorum post hominum memoriam in Hispaniam ad Celtas venere Phœnices, à Tyro mare internum huc usque & ad Gades navigantes, partemque Bæticæ, quæ postea Turditaniam dicta fuit, occupantes, ut ex Diodoro ac Strabone discimus. Graeci postmodum à Massilia colonias deduxerunt inter Pyrenæum & Iberum, Rhodam & Emporias: quæ oppida etiam nunc vocantur vulgo *Rosas*, & *Empulias*. Interiora etiam Græcos quosdam incoluisse indicat corruptum (ut vult Silius poëta) nomen Graviorum, quasi Grajorum; Græcorumque Castellum Dyde, vulgo nunc *Tuy*, in ea parte Tarraconensis, quæ hodie est Gallæcia. Postea Carthaginenses majorem ejus partem tenuere, ad internum mare, Amilcare eam occupante. Secundo bello Punico superatis ac expulsis Pœnis tota Romanorum facta est; sub quorum imperio tribus provinciis distincta mansit, usque ad Honorii Imperatoris tempestatem: quum Gothi ac Vandali, Germanica gens, circa annum Christi cccc eam invadentes, dictas provincias in tria regna distribuerent. Deinde vero Saraceni cum Mauris circa annum 1000 invecti, tota Hispania direpta, complura in ea regna instituerunt: Christianis, id est, Gothorum reliquiis in Asturiam ac Legionem regiones natura locorum munitas, compulsis. Regnorum numerus tandem crevit ad xiv, quorum nomina hæc recensentur: *Legio, Gallæcia, Portugallia, Algarbia, Andalusia, Granata, Murcia, Valentia, Arragonia, Catalonia, Navarra, Castilia Vetus, Castilia Nova*, quod *Toletanum regnum*, & *Baleares insule*, vulgo *Majorca & Minorca* dictæ, quæ unâ cum Ebuso Insula, nunc *Ivix*, unum regnum efficiunt. Ex his postea durabili titulo, ad hoc nostrum seculum clara fuere tria: Castilia, Arragonia, & Portugallia. Legionis regnum, vulgo *Leon*, constituere reliquæ Gothorum, à Mauris, ut dictum, in ea loca compulsæ. At Ferdinandus primus Legioni per matrimonium juncta Castilia,

uno nomine Castiliam appellavit regnum suum. Huic postea, devictis ac pulsis Mauris, accesserunt Gallæcia, Andalusia, Granata, Murcia, ac Navarra. Navarra autem regnum initium cepit circa annum 1000, cum Eneus Bigorriæ Comes (pars est Gallæ Aquitanicæ) transgresso Pyrenæo, Mauris ejectis, regem se constitueret. Post hunc Henricus iv, Castiliæ rex, armis occupatum Navarræ regnum, suo imperio adjecit. Arragoniæ primus regio titulo præfuit Ramirus Sancii Magni Navarræ regis filius spurius, anno 1000. Huic deinde titulo annexæ sunt Catalonia, & Valentia. Jacobus autem rex, anno 1000, insulas Baleares suis armis occupatas Arragoniæ regno fideique Christianæ adjecit. Tandem Ferdinandus vi, Caroli avus maternus, Castellæ & Navarræ rex, per matrimonium Castellæ junxit regnum Arragoniæ. Hic tandem Mauros, quos Ferdinandus iii in Granatense regnum compulerat, omnemque una Judæorum gentem tota Hispania anno 1000 expulit. Portugallia regnum hæc principia habuit. Quum Henricus Lotharingiæ Comes res ingentes contra Mauros in Hispania gessisset, præmium virtutis ac laborum Alfonso vi Castellæ rex Tirciam filiam notham ei dedit in matrimonium, dotemque apposuit eam Hispaniæ partem, quæ nunc Portugallia dicitur. Hujus filius, cum quinque reges Maurorum uno prælio fudisset, Rex primus Portugalliae appellatus est, circa annum 1000, habuitq; successores continua serie, donec ultimo rege Sebastiano in Africa caeso, regnum ad regem Castellæ recidit. Hac igitur ratione cuncta Hispaniæ regna ad unum corpus rediere: caputq; unum tota Hispania agnoscit, qui nunc est Philippus xv, Hispaniarum potius quam Castellæ titulo gaudens. Triplici autem titulo tenet, quicquid tenet, Castellæ, Arragoniæ, Portugalliae. Sub Castellæ regno sunt duæ Castiliæ, Legio, Asturia, Galæcia, Extremadura, Andalusia, Granata, Murcia, Biscaya, Navarra, Mediolanum, Belgica, Burgundia Comitatus, Insulae Canariæ, America, Insula Philippinæ. Sub regno Arragoniæ, ipsa Arragonia, Catalonia, Valentia, Insulae Baleares, quæ Majorica, & Minorica: Regnum Neapolitanum, Sicilia, Sardinia. Sub regno Portugalliae ipsa Portugallia, Algarbia, Guinea, Æthiopia, India Orientalis, Insulae Moluccæ, Brasilia. De cætero in ipsis Hispaniis Duces numerantur xxiv. At id maxime mireris, reperiri hic, quod haud facile alias toto terrarum orbe: scilicet Duces in Portugallia, nomine Brigantium, cui tertia pars regni pareat. Porro Archiepiscopatus in universa Hispania sunt xii, Episcopatus lv. Quamvis autem Regi suprema sit in omnibus &

Recensitio.

Regnum Castilianum.

Regnum Arragoniæ.

Portugallia regnum.

Status politici.

H I S P A N I A.

Nomen.



ispaniam Justinus, ex Trogi Pompeji Historiarum Philippicarum libro 49, dictam notat ab Hispano rege. Alii sic nominatam volunt ab Hispali urbe nobilissima, quam hodie *Sevilliam* appellant, quæ sententia Philippo Cluverio placet. Ortelius *Spaniam* dictam vult, cum *Espania* & *Spania* scriptioe tantum differant. Nam Hispani Galli; vocibus Latinis, quibus à litera S initium, E proponere, suasque facere consueverunt. Graeci ab initio vocaverunt *Iberiam*, à flumine ejus celebratissimo Ibero, non ab Iberis Asiæ populis, quos in Hispaniam pervenisse Varro tradit. Iisdem Græcis fuit *Hesperia*, quod in Occidentem versus ipsis sita fuerit. Terminos habet ab ortu ac meridie internum mare, fretum Gaditanum, & Oceanum Atlanticum: à Septentrionibus Oceanum Cantabricum, & Pyrenæa juga, quibus à Gallia submovetur. Longitudo ejus summa à Sacro promontorio, quod vulgo est *Cabo de S. Vincente*, ad usque Salsus fontem, vulgo *Salsas*, in finibus Galliae ad mare internum, milliarium Germanicorum circiter cxc. Latitudo à Celtico promontorio, quod vulgo *Cabo Finis terræ*, ad usque promontorium Saturni, vulgo nunc *Cabo de Palos*, milliarium cl. Oceani interniq; maris circumfusione pene insula efficitur: Pyrenæis jugis transitum maris arcantibus. Strabo corio bubulo expanso eam adsimilat. Altrix semper fuit Martiarum gentium; omni materia affluens, quæcunque aut pretio ambitiosa est, aut usu necessaria: viris equisq; abundat: metallis auri, argenti, æris, ferri, plumbi albi nigrique, tota ferme scatet: frumenti, maxime verò vitium ac oleæ adeo ferax, ut, sicubi ob penuriam aquarum effœta ac sui dissimilis est, linum tamen & spartum alat. Atq; hæc de Hispaniæ fertilitate quum omnes fere prisca Geographi uno ore prædicent, errare mihi videntur, qui Græco vocabulo eam *Ἰβηρίαν*, ob raritatem incolarum ac locorum asperitatem sterilitatemque dictam suspicantur. quanquam hac nostra ætate ubertas ejus præ aliis terris prædicari nequeat. Divisa fuit olim Romanis in tres provincias: Bæticam, Lusitanicam, & Tarraconensem. Bætica clauditur à Septentrionibus & Occasu flumine Ana; à Meridie Oceano & mari interno, usque ad Murgim oppidum, hodie *Almeria* dictum: ab Ortum Tarraconensis jungitur provinciae, à qua recta linea, ab Murgim ad oppidum quod vulgo dicitur *Ciudad Real*, & Anam amnem ducta, discernitur. dicta Bætica, à flumine Bæti, mediam secante. Cæteras provincias divite cultu & quodam fertili ac

Termini.

Regioni indole.

Divisio Hispaniæ veteris.

HISPANIA.

peculiari nitore præcedit. Partem ejus, quæ Bæticam Anamque amnes inter, Bæturia dicta fuit, Turduli versus Ortum, Celtici versus Occasum in Lusitaniam usque; protensi tenuere. Hodie universa Bætica continet duo regna Hispaniæ, Granatam, & Andalusiam, partemque Castiliæ Novæ, & Estremaduram. Lusitania terminatur à Septentrione flumine Duria, ob occasu Oceano, à meridie Ana fluvio, ab Oriente linea à civitate Regali ad Samoram oppidum, apud Duriam flumen ducta, à Tarraconensi provincia separatur. Dictam voluerunt antiqui Lusitaniam à Luso ac Lyfa, fabulosis Bacchi comitibus. Habet Olyssiponem oppidum ad Tagi amnis ostium, quod ab Ulysse conditum esse fabulati sunt. Continet hodie totum ferme Portugalliae regnum, partem Castiliæ Veteris, partemque Novæ. Reliquum verò Hispaniæ occupat Tarraconensis provincia, à Tarracone capite suo denominata. In hac populi fuere, quorum nomina olim clara: Celtiberi, dextram Iberi fluvii ripam late accolentes: quorum caput Segobriga, nunc *Segorbe* dicta: & clara Romanorum everfione Numantia, nunc *Almanzan*: regio ipsa Celtiberia: hinc Vascones; qui maxima pars hodie Navarræ regni; Pyrenæis montibus adfixa. Horum caput *Pompelona*, sive *Pompejopolis*, nunc *Pompelona*. Varduli, nunc *Guipuscoa*: quorum caput *Flaviobriga*, nunc *Bilbao*. Cantabri, qui nomen Oceano Cantabrico dedere, nunc *Biscaya*: caput *Juliobriga*, hodie *Val de Viece*: Astures, nunc *Asturias*: quorum caput Asturica, nunc *Astorga*, urbs quondam magnifica. Gallæci, inter Minium & Duriam amnes; quorum Brigantia, hodie *Bragança*, pars nunc Portugalliae. Væccæi, quorum Pallantia, vulgo *Palencia*. Carpetani, quorum Toletum, nunc *Toledo*, & Complutum, nunc *Alcala de Henares*. Sub his versus meridiem fuere Oretani. Complectitur tota Tarraconensis provincia regiones hodie istas: Murciam, Valentiam, Catalonia, Arragoniam, Navarram, Biscayam, Asturiam, Gallæciam, Legionem, Castiliæ Veterem ac Novam fere totas. At eadem Hispania distincta etiam fuit Romanis duabus tantum provinciis, Citeriore, & Ulteriore: unde sapissime Hispaniæ plurali numero dicuntur hæc terræ. Citerior Hispania est eadem quæ Tarraconensis provincia: Ulterior Bætica ac Lusitaniam complectitur. Dictæ sunt citerior, & ulterior, respectu urbis Romæ; sicuti & Galliæ duæ. Tubalem Noachi nepotem in Hispaniam primum pervenisse, post aquarum inundationem, in dispersione gentium, adfirmant nostri seculi scriptores ex Josepho, qui tamen Tubalem

Lusitania.

Tarraconensis.

De variis incolis Hispaniæ.



Revised by Iberica - JOANNIS JANSSONII  
Composed by VAN LOOCK, 50 rue Saint-Jean  
1000 Bruxelles, Belgium November 21 1994